

# Franckesche Stiftungen zu Halle

**Io. Francisci Bvddei, P.P. Elementa Philosophiae Practicae**

**Buddeus, Johann Franz**

**Halae-Magdebvrgicae, MDCCLXXVII.**

**VD18 13037862**

**Sect. IV. de Officiis Hominis Erga Alios, Et Quidem Absolutis, Quae  
Obligationem Perfectam Habent.**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and further information please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

catur *sobrietas*, quae veneri leges dat, *caſitas*, quae opes rite dispensat, *frugalitas*, quae honores, *modestia*. Quod si res aduersae ingruant, *fortitudine* opus est, quam omnino pro specie temperantiae habeo, cuius duae rursus filiae sunt *patientia* & *fortitudo* stricte sic dicta: illa respicit aduersa, quae incumbunt, haec, quae imminent.

## S E C T. IV.

de

**OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS,  
ET QVIDEM ABSOLVTIS, QVAE  
OBLIGATIONEM PERFECTAM  
HABENT.**

Σύνοψις.

- |   |   |
|---|---|
| <i>Officia erga alios quatuorpli-<br/>cia sint?</i> §. I.       | <i>De errore &amp; dolo,</i> §. XI.   |
| <i>Primum est: neminem lae-<br/>de,</i> §. II.                  | <i>De coactione &amp; metu,</i> §. XII.   |
| <i>De damni dari restitutione,</i><br>§. III. IV.               | <i>Effectus &amp; materia pacto-<br/>rum,</i> §. XIII.  |
| <i>Quatuorpli ratione ea fiat,</i><br>§. V.                     | <i>Conditiones</i> §. XIV.  |
| <i>Quid praeterea ab eo, qui<br/>laesit, requiratur?</i> §. VI. | <i>Internunciis,</i> §. XV.   |
| <i>De aquilizare omnium ho-<br/>minum agnoscenda,</i> §. VII.   | <i>De pactorum interpretatio-<br/>ne,</i> §. XVI.   |
| <i>De pactis seruandis,</i> §. VIII.                            | <i>Interpretatio quid? &amp; quo-<br/>tuplex?</i> §. XVII.  |
| <i>Cur pacta vim obligandi<br/>babeant,</i> §. IX.              | <i>Regulae interpretationis de-<br/>claratinæ, quae ex na-<br/>tura sermonis fluunt,</i><br>§. XVIII. |
| <i>De consensu eiusque impe-<br/>dimenis,</i> §. X.             | <i>Quae ex coniecturis origi-<br/>nem ducunt,</i> §. XIX.   |
|   | <i>Quod istae ad omnem obscu-<br/>rita-</i>   |

ritatem tollendam sufficiant, §. XX.  
De interpretatione extensa, §. XXI.  
De restrictiva, §. XXII.  
Quod restrictiva interpretatione opus sit, si duae leges secum pugnare videantur, §. XXIII. XXIV.  
Regulae de favorabilibus & odiosis reiiciuntur, §. XXV.  
Virtutes hinc fluentes, §. XXVI. XXVII.

## §. I.

**Q**uoad officia hominis erga alios ratio dicitur: socialiter esse viuendum. Non sunt autem haec officia vnius generis: alia enim sunt, quae inter homines quatenus *aequales* sunt, obseruanda veniunt: alia autem, quae *inaequalitatem* obstatum supponunt: illa rursus vel *absolute* ad vitam socialem sunt necessaria, ut adeo *perfecte* ad ea praestanda homo obligetur: vel ita comparata sunt, ut subsistere quidem sine iis vixunque vita socialis, sed non *commoda*, possit, adeoque obligationem *imperfectam* secum vehunt. Officia, ad quae *perfecte* obligamur, vel certum *institutum* praesupponunt, vel non praesupponunt: illa *absoluta*, haec *hypothetica* vocantur.

## §. II.

Inter absoluta primum locum tenet illud: *neminem laede*. Hoc ad vitam socialem absolute necessarium est. Laeditur autem aliquis in *corpore*, per caedem, vulnera &c. in *bonis*, per rapinam, furtum, fraudem, corruptionem: hic etiam pertinent fructus, tum percepti, tum certi-

to

to percipiendi; in *iuribus*, dum intercipiuntur, aut non redundunt, quae perfecte debentur: in *fama per calumnias &c.* imo etiam in *mente*, si alter ad mentem corrigendam perfecte fuerit obligatus. Laesio in bonis a nonnullis *damnum* dicitur.

### §. III.

Qui autem alterum laesit, ad *restitutionem* tenetur. Frustra ceteroquin laesione lex naturae prohiberet. Tenetur autem laedens, siue *per se* siue *per alios* laeserit, idque eatenus, quantum effectus illi imputari potest. Hoc autem ex iis, quae de causa morali diximus, intelligitur. Ordo etiam, quo tenentur, si plures laeserint, hinc recte diuidicatur. Ast si quaeratur, in quantum quisque teneatur, obseruandum, quod in indiuiduis actibus singuli teneantur in solidum: in *diuiduis* in tantum quisque tenetur, in quantum laesit: nisi per *conspirationem* facinus alii, quod patraverit, ibi enim omnes pro singulis, & singuli pro omnibus, tenentur. Haec ex natura imputationis fluunt.

### §. IV.

Quid de *casu fortuito*, damnoque per *cul-  
pam* daro, sentiendum sit, ex supra dictis liquet. Si autem seruus, aut *animal* nostrum citra nostram culpam damnum dederit, saltem non impedire tenemur, quo minus laesus reparationem consequatur, et si exinde incommodum in nos redunderet, cum ex iisdem commodum capiamus.

### §. V.

## §. V.

Fit autem reparatio, si res corrupta vel ablata restituatur, aut si hoc fieri nequeat, aestimatio rum rei, tum fructuum eius praefetur.

## §. VI.

Ceterum ad vitam socialem non sufficit, si quis per malitiam laesit, ut reparationem ultro offerat, sed necesse quoque est, ut se facti poenitere testetur, & ut, si laesus hoc exigat, eius securitati consulat: laesi autem est, veniam dare lae denti, & cum ipso redire in gratiam. Qui per culpam laesit, itidem offerre reparationem, testari que debet, omnem malitiam absuiffe.

## §. VII.

Alterum officium absolutum, & cum perfecta obligatione coniunctum, hoc est: *quiuis alterum natura sibi aequalem agnoscat.* Idque primo, quia omnes eiusdem naturae sunt participes, deinde, iisdem legibus naturalibus obligantur; omnes etiam circa antegressum pactum, aut societatem specialem, aequi liberi sunt. Necesse itaque est, ut quisque alterum aequali iure frui patiatur: ut qui aliorum opera ad suum commodum uti vult, idem illis praestare non recusat; ut qui aliquid inter aequales distribuere debet, neutri prae altero indulget.

## §. VIII.

Tertium officium absolutum, quod obligacionem perfectam habet, hoc est: *pacta seruanda esse.*

esse. Est autem pactum consensus duorum plurimum in idem placitum. Quo ipso a *promissione perfecta*, multo autem magis a *simplici assertione*, & promissione *imperfecta*, discernitur. In promissionibus enim fides datur per actum solitarium: interim in iis etiam acceptatio requiritur, cum inuito nullum ius acquiratur, nisi rogatio praecesserit, eique oblatio respondeat.

### §. IX.

Ceterum voluit Deus, ut pacta seruentur, cum ceteroquin socialitas salua esse nequeat: & pacta vnicum sint medium ea acquirendi, quibus indigemus, si alii sua sponte ea nobis praestare nolint. Falluntur ergo, qui pacta naturaliter nullam vim obligandi habere contendunt: cuius erroris perperam accusatur Connarus.

### §. X.

*Consensus*, qui ad pacta requiritur, declaratur per *signa*, verba, facta, gestus &c. quin & per *silentium*, cum certis circumstantiis consideratum, vnde *consensus tacitus*: quem autem nonnulli *praesumunt* vocant, improprie *consensus* est, & aequitate nititur. Idem impeditur partim ratione *intellectus*, partim ratione *voluntatis*. Ratione intellectus per *aetatem*, si usus rationis nondum adsit; per *furorem*, si quis usum rationis amiserit; per *ebrietatem*, & denique per *errorem*.

### §. XI.

## §. XI.

Et *error* quidem ut consensum impedit, ira & pactum irritum reddit, sed tum demum, si circa essentiam rei, aut eius qualitates, de qua pacifendo potissimum actum, fuerit commissus. Si ex negligentia aut praecipitania pacifcentis fuerit profectus, obligatus erit ad pensionem damni ex pacto irrito illati. *Dolus* pacifcentis pactum plane irritum reddit: *tertii* non item, ut ad damnum datum restituendum sit obligatus.

## §. XII.

Ratione voluntatis oritur impedimentum a *coactione* & *metu*. Metus, hoc est terror animi, nisi ita vehemens fuerit, ut omnem rationis excusserit usum, pactum per se non reddit irritum. Adeo enim etiam in metu aliqualis consensus. Quod si autem fuerit iniustus, pactum irritum reddit, non ob defectum consensus, sed quia incuriens istum, non habet ius promissum acceptandi.

## §. XIII.

Effectus pactorum est *translatio iuris*: unde & sequitur, quod materia pactorum, physice & moraliter *possibilis* esse debeat: cum ceteroquin solus consensus nullum ius transferre possit. Ut ergo pacta super rebus turpibus irrita sunt: ita si quis ex pacto turpia fecerit, alter ad fidem seruandam non est obstrictus. Accedit, quod quae causa haec pacta irrita reddit,

reddit, eadem quoque alterum onere fidem datam  
seruandi, liberet. Merces autem pro re turpi data,  
nisi enormis accesserit laesio, reperi nequit, quia  
etiam vbi gratis datur, repetitio cessat. Sed &  
quousque super rebus & actionibus nostris aut  
alienis, pacisci queamus, ex hactenus dictis liquet.

#### §. XIV.

Conditiones, quae pactis & promissis adiiciuntur, vel *possibiles* sunt, vel *impossibiles*: & hae iterum, vel *potestatiuae*, vel *causales*, vel *mixtae*. Impossibiles pacta irrita faciunt. Tempus & locus itidem certo modo ad conditiones pertinent. *Huius adiectione* tantum supponit temporis, donec possit perueniri in locum, in quo promissio exsoluenda: *illius* efficit, ut, nisi praestituta die, promissio non possit exigi.

#### §. XV.

*Internunciis*, qui aliquando adhibentur, mandatum aut *generale*, aut *speciale* dari solet. Si fines mandati migrauerint, mandans non obligatur. Sed distinguendum hic inter internuncium, in quo *usus iudicii*, & eum, in quo *ministerium corporale* tantum, requiritur. Hinc multae quaestiones diiudicari possunt. Quoad acceptationem autem, ad *consensum*, eiusque *complementum*; & *propositum* promittentis, diligenter est attendendum.

#### §. XVI.

Ceterum cum consensus per *signa*, inter quae  
S ver-

*verba* tum *ore* prolata, tum *scripto* consignata eminent, edatur: & vero saepe contingat, ut verba obscuritate quadam laborent: siue haec a *figura externa*, siue ab *interno* eorum sensu proueniat, licet hic potissimum attendatur: omnino quo patto interpretanda sint, paucis edifferendum est: qua occasione in genere de humanae voluntatis interpretatione, aliquid delibabimus.

### §. XVII.

Est autem interpretatio signorum, praecipue verborum, quibus alter ad mentem suam declarandam usus est, accurata explicatio, ut quid voluerit, clare intelligatur: estque vel *declarativa*, vel *extensiva*, vel *restrictiva*. Ratio diuersitatis ex diuerso modo loquendi, & verba conceptibus nostris accommodandi, petenda est.

### §. XVIII.

Ad *declaratiuam* interpretationem requiritur cognitio linguae, & terminorum artis, quin & si obscuritas a figura externa proueniat, scripturae, signorum, notarum, & characterum, quibus aut typographi, aut scribæ vtuntur: praesertim autem vocabulorum, tum antiquorum, tum recentiorum &c. Huc etiam duae istae regulæ generales pertinent: *verba regulariter ex usu & proprietate populari intelligenda sunt: verba artis explicanda sunt secundum definitiones prudentium cuiusque artis.*

### §. XIX.



## §. XIX.

Si ita parum proficiatur, consideranda est na-  
tura & indoles ipsius negotii: tum expendenda sunt  
coniuncta, tum origine, tum loco: effectus etiam  
paeti aut legis non negligendus: nec affectus aut  
conditio loquentis: cumprimis autem ratio legis  
aut paeti, sedulo ponderanda. Atque hinc regu-  
lae istae speciales fluunt: verba sunt intelligenda  
secundum substratam materiam: obscurae locutio-  
nes explicandae sunt ex eiusdem auctoris loco pla-  
niori, licet alio tempore & loco prolati, nisi mani-  
festo adpareat, ipsum sententiam mutasse: it. ad  
antecedentia & consequentia sedulo est attenden-  
dum: si verba nude & simpliciter accepta vel nul-  
lum, vel absurdum aliquem effectum, post se essent  
tractura, e. g. si cum lege diuina aut humana pugna-  
rent, a receptioni sensu paulisper est deflectendum:  
sermo obscurus ita interpretandus est, prout affe-  
ctui loquentis, item dignitati & conditioni tum  
ipsius, tum eius, ad quem loquitur, est conueniens?  
illa interpretatio quae rationi legis aut paeti est con-  
veniens, est sequenda: reiicienda autem, quae ei  
repugnat.

## §. XX.

Et istae quidem regulae, maxime coniun-  
ctim sumptae, sufficient ad obscuritatem ver-  
borum tollendam, siue haec ex verbis obsole-  
tis, siue recens confictis, siue peregrinis, siue  
ambiguis, siue sermone perplexo, siue deni-  
que ex duarum orationum contrarietate & pu-  
gna, oriatur. Quin & aliquando ad obscuri-  
tatem,

tatem, quae a figura externa prouenit, tollendam conducunt.

### §. XXI.

In interpretatione *extensua* ex regulis antea allatis vnica saltem praecipue militat, quae scilicet ad rationem legis, aut pacti, attendere iubet. *Verba itaque legis aut pacti tum extendenda sunt, quando ratio legis, aut pacti, est latior verbis legis aut pacti.* Vbi enim eadem est ratio, eadema etiam est iuris dispositio. Quae quidem regulatum in affirmatiuis, tum negatiuis legibus procedit: in his tamen vsum insignem praebet, ad fraudes, quae ad declinandam legis obligationem ex cogitari solent, eludentias. Harum cauillationum quatuor afferuntur species; cum sit commutatio rerum; cum sit commutatio personarum; cum sit commutatio contractuum; & cum modus contrahendi mutatur.

### §. XXII.

In interpretatione *restringenda* ceterae quoque regulae, quae in declaratiua militant, locum habent. Sic restringenda verba esse, ex legis aut pacti *materia substrata* colligitur, utpote quae semper intelligenda est animo loquenter obuersari, et si verba videantur latius patere: item ex effetu, si absurdus, aut iniquus ex verbis latioribus sequatur, quia nemo mentis compos absurdia, aut vana, aut sibi modesta, voluisse censendus est &c. Huc pertinet etiam interpretatio secundum aequitatem. De *ratione legis* autem obseruandum: si

in

in vniuersum, quoad aetum & potentiam cesser,  
nec voluntas legislatoris, alio modo declarata,  
obster, tum cessare legem ipsam.

§. XXIII.

Cum primis autem restrictiva interpretatio ad-  
hibenda est, si duae leges concurrant, quae etsi di-  
recte secum non pugnant, propter certam tamen  
temporis circumstantiam, simul obseruari ne-  
queant. Ex quibus ut ista praefferatur, quae ar-  
tius obligat, rationi est consentaneum.

§. XXIV.

Hinc regulae istae speciales, quae passim cir-  
cumferuntur, facile deduci possunt: *promissio ce-  
dit ei, quod iubetur, aut vetatur: lex affirmativa  
negatiua: quod faciendum est certo tempore,  
praefertur ei, quod quoquis tempore fieri potest: obli-  
gatio imperfecta cedit perfectae; recentior anti-  
quior; simplex, etiam antiquior, duplice; lex be-  
neficentiae legi gratitudinis: magis obligati sumus  
ei, qui arcetiori vinculo nobis est coniunctus, & vice  
versa: leges imperantia inferioris cedunt legibus  
superioris; generales specialibus: illa, quae causas  
magis honestas aut utiles habet, praefertur ei, quae  
causas minus honestas, minusque utiles habet &c.*

§. XXV.

Solent etiam favorabilia ab odiofis discerni, &  
hinc variae regulae & in extensiu, & restricti-  
va interpretatione, elici: sed cum non semper

S 3 quid